



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Thomae Młodzianowski, Polonie, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Metaphysica, Logica, Octo Libris Physicorum, Generatione, Corruptione
Et Anima

Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682

Punctum Difficultatis 3. Proponitur modus explicandi Rarefactionem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95667)

cupat plures, nec majores spatii partes, sed magis distantes inter se, quarum distantia, repletur aliis corpusculis, spatium interjacens occupantibus.

R E S P O N D E T U R. Hanc sententiam ostendere quomodo magis distans spatium occupet, sed non ostendere secundum propositum & intentum difficultatis, negatur enim ob dictas rationes, eo modo, perfici illam occupationem.

Punctum Difficultatis 3.

Proponitur Modus explicandi Rarefactionem.

P R Æ M I T T O 1. *Quod magis nobis nota sit extensio in ordine ad occupandum majorem locum, quæ occupatio connexa est rarefactioni, hinc de ea utpote notiori discurrendum erit, quæ explicatâ, explicabitur proportionaliter rarefactio, quæ per miraculum posset esse, sine extensione majori ad locum.*

P R Æ M I T T O 2. *Extensionem in ordine ad locum, esse effectum secundarium quantitatis, adeoque talem ut dictum supra, qui potest haberi ab alio principio, quam à quantitate.*

P R Æ M I T T O 3. *Sicut quando non in omnes dimensiones equaliter occupatur ab aliquo corpore divisibili spatium, potest occupari incomparabiliter magis distans, quam ante ut dictum supra, sic potest occupari spatium magis distans, modo sequatur dissolutio aliqua, & divisio partium.* Quod sic explicatur. Dividamus v. g. in quatuor partes oleum rarefaciendum. Prima pars A, sursum assurgit, & secundum aliquas partes discontinuatur ab aliis, & attenuat sese, ad eum modum, quo quis globulum ceræ manu fricat, & illo calefacto, pyramidulam efficit, qua attenuatione posita, assurgit altius pars A, & majori attenuatione posita altius, & sic rursus, quia verò illa pars A, altius assurgendo, relinquit aliqua spatia, hinc ex naturali connexione rerum, quæ est ad impediendum vacuum, fit ut posita dissolutione partis A, ab aliis partibus immediatis, & posita illarum dilatatione, orta ex illa dissolutione, ad illam accurrat pars B, quæ periculum vacui ducit, & sic ulterius faciunt duæ residuæ partes olei.

P R Æ M I T T O 4. *Hoc potius salvari primo posset quæ fiat ut parum materiæ, manens sub eadem parvitate materiæ, occupet magis distans spatium, adeoque habeat majores dimensiones; quia scilicet dissoluta conjunctione aliquarum partium, & attenuatione, potest fieri magis distans spatii occupatio, ut fieret, dum papaver divideretur in sententia Aristotelis, & contegeret Sphæram orbis universi.* Secundo salvari potest, quæ fiat id sine bilocatione ejusdem partis, quia scilicet dum deserit una pars locum aliquem, & attenuando sese attollit, ut occupet

magis distans spatium, tunc etiam alia pars, dissoluta unione immediata, cum aliis partibus, ob periculum vacui, illuc accurrat: & prior etiam ita dispensat suas partes, ut in altum eant, ita inquam dispensat, ut attendat, an dissolutis partibus aliis, spatium quod ante occupabat repleti possit, quæ attentio, non alia in re est, nisi connexio à natura ordinata, ad implendum vacuum. Tercio salvari potest, quæ fiat ut antea partes, quæ nunc magis distans spatium occupant, ante istam occupationem non fuerint penetratæ, quia scilicet in rarefactione ita se habent, sicut papaver, quod in divisione versus aliquas dimensiones, plus spatii occupat, quam ante, quantumvis illæ partes, non fuerint penetratæ in ante. Rursus per nos, non ideo plus spatii à corpore rarefacto occupatur, quia singulæ partes proprium locum obtinent, cum ante rarefactionem plures in eodem loco fuerint, ex hoc enim sequeretur clarè, penetratas illas partes ante rarefactionem fuisse; sed tantum dicimus, alio modo illud spatium impleri; quæ alietas modi implendi, provenit ex calore dissolvente, unionem aliquarum partium, adeoque attenuante, quæ attenuatione posita, sequitur majoris spatii occupatio.

P R Æ M I T T O 5. *Aliam esse rigorosè hanc propositionem: An rarefactione occupetur majus spatium, & aliam: An occupetur magis distans.* Falsum est quod in rarefactione occupetur majus spatium, cum enim non plures partes entitativas, eisque adnexam quantitatem contineat in rarefactione, quam ante rarefactionem, fit ut rigorosè loquendo, non occupet majus spatium, occupet tamen magis distans, quia hoc ipsa experientia ostendit.

P R Æ M I T T O 6. *Quod omnes quidem partes spatii occupat corpus rarefactum, & plus, quod non occupabat ante rarefactionem, sed non occupat eodem modo, non tanta spissitudine, non ea continuatione, & cætera similia.* Et quia non eodem modo occupat, fit ut plus spatii occupari possit. Quod autem in omnes dimensiones, æqualiter occupet illud spatium, corpus rarefactum, non occupat autem papaver, si divisione in partes minores & minores posita, tegeter sphæram celorum, oritur id ex fluiditate v. g. olei cujus vis, facilius dispensare partes suas potest, in omnem partem, qualem fluiditatem non habet papaver, hinc in aliquam dimensionem, non nisi se extendit.

P R Æ M I T T O 7. *Quod sit ista attenuatio.* In re non aliud est, nisi dissolutio partium aliquarum, quæ posita sequitur ut in aliquam dimensionem, partes se porrigant. Imaginare ignem positum, applicetur illi globulus parvus ceræ, positus supra planum aliquod, non facile bibulum, si paulatim calefiat, incipiet se diffundere, adeoque rarefieri, & globulus ille paulatim attenuabitur, ipsaque illa attenuatio, & illa fluiditatis

tatis sequela salvabit illam rarefactionem. *Hinc jam*

EXPLICARI posset Rarefactio, quod fiat per solam partium attenuationem, quarum aliqua dum se versus unam dimensionem porrigunt, ita id faciunt, ut tot partes in eodem loco maneat, quot sunt necessariae ad id, quod antea replebant spatium replendum, una cum vicinis partibus itidem attenuatis & dissolutis, totam illam & prioris & novi spatii occupationem, in modum occupandi referendo, hoc est, quod non tanta spissitudine occupetur idem spatium. *Hæc explicatio*

NON SATISFACIT plenè, licet in aliqua materia sustineri possit, non satisfacit inquã plenè, quia evidens est, in oleo rarefacto totum illud spatium occupari, quod & ante, & simul novam aqualem, vel majus, hinc in nullas dimensiones est minor occupatio spatii, & si secundum unam dimensionem, occuparet corpus rarefactum, magis distans spatium, posset sustineri prædicta explicatio. Unde ergo provenit, ut in omnes dimensiones spatium majus occupetur? Solùm ergo illa attenuatio, salvat aliquid rarefactionis, nempe diffluentiam partium vel earum secundum aliquam dimensionem, ad distantius spatium exportationem. Hinc ut commodius idem explicetur, sit

Punctum Difficultatis 4.

Explicatur Rarefactio.

PRÆMITTO 1. *Quantitatem secundum effectum suum formalem spectatam, ita cum illo connecti, ut ille effectus sine quantitate haberi non possit.* Ratio quia effectus formalis primarius, importat, etiam ipsam formam entitatemque ejus, entitas autem formæ, non potest poni sine entitate formæ. Hoc tamen non obstante, effectus formalis secundarius suppleri potest à Deo, & poni sine quantitate, ut dictum supra.

PRÆMITTO 2. *Quod est effectus formalis secundarius alicujus formæ, pro statu connaturali, potest esse effectus formalis primarius formæ.* Sic v.g. motus progressivi effectus formalis secundarius est, facere præsens localiter. Jam autem ipsius ubi, in sententia modalium prædicta præsentia, est effectus formalis primarius. Rursus quæ in combinatione aliqua qualitatium sunt quid primum, in alia combinatione sunt quid secundarium, ordinariæque effectus formales secundarii, à pluribus etiam principiis proficisci possunt, ut videre est in calefactione. Quæ omnia resolvuntur in principium negativum non repugnat. Consequenter fieri potest, ut extensio in ordine ad locum quæ est non nisi effectus secundarius quantitatis, sit effectus formalis primarius, alicujus alijs formæ.

PRÆMITTO 3. *Attendendo ad verba Aristotelis, & retinendo sine ulla distinctione definitionem ipsius, videtur esse de essentia rarefactionis, actualis extensio in ordine ad locum, priori majorem.* Jam autem Aristot. definit raritatem per mensurabilitatem, definit enim illam per majores dimensiones, quam ante, major autem dimensio, est per ordinem ad locum: nam quæ non habent extensionem in ordi-

ne ad locum, nec dimensiones habent; hinc actualis extensio in ordine ad locum, videtur esse definitivè raritas; quæ extensio, non est nisi secundarius effectus quantitatis. Quod ut ulterius explicetur.

PRÆMITTO 4. *Quod rationes superiores ab inferioribus restringantur.* Ut videre erit in omnibus Categoriis, consequenter etiam raritas, dimensionem & extensionem in ordine ad locum, quæ est illi communis cum quantitate, restringere ad se aliquomodo debet, quod restrictivum posset in præsentia poni, quia scilicet Raritas, facit corpus esse in majori loco, quam facere possit quantitatem, seu quod in idem recidit, facit parum materię esse, sub majoribus dimensionibus, quæ phrasim commodior est, ne positivum quid, qualis est Raritas, per aliquid negativum, h. e. per præstare, quod non præstat Quantitas.

PRÆMITTO 5. *Esse possibilem talem qualitatē, quæ faciat parum materia, retenta eadem entitate partium materia, occupare plus spatii quam possit facere quantitas.* Ratio. Tum quia quamvis extendat quantitas corpus quantum, faciatque ne illæ partes penetrent, non tamen extendit tantum, quantum extendi possint ab alio principio, à se condistincto, quæ enim in hoc repugnantia? Tū quia, materia seipsa non habet extensionem localem, & sublata quantitate, non nisi ad punctum loci redigeretur. Habet tamen capacitatem ut accessu quantitatis, plus quam indivisibile spatii occupet. Ergo etiam poterit habere capacitatem, ut quavis parum illius, non possit ex vi quantitatis, esse sub magnis dimensionibus, possit esse ex vi alicujus alijs principii. Tū quia in omnibus formis hoc apparet, ut quod una facere non potest, possit alia, sic nigrum non disgregat visum, disgregat album. Ergo etiam quantumvis quantitas parum materiae non possit ponere sub magnis dimensionibus, poterit ponere alia forma physica h. e. raritas. Cæterum recedendo à phrasia Aristot. potest dici raritas, qualitas, ejus, quod habet parum materiae, plus extensiva, quia videtur diminutio ad extensionem illam sequi. *Hinc*

DICENDUM est. *Raritatem esse qualitatem superadditam naturæ parum materiae amplius extendere.*

PROBATUR 1. Quia ex una parte talis qualitas non implicat contradictionem, ut colligitur ex præmissis. Ex altera parte, nihil deest quominus dicatur defacto poni illa qualitas, dum perficitur Rarefactio.

PROBATUR 2. Quia impossibile est poni effectum primum, sine ipsa forma. Ergo cum possibilis sit forma, seu qualitas, ejus effectus formalis, ut suppono primarius, sit esse extensivum plus, quamvis sit parum materiae, si hic effectus ponatur, hoc ipso ponetur & forma.

PROBATUR 3. Quia per dictam qualitatem commodè salvantur, quæ in præsentia difficultatem habent. *Salvatur primo.* Quomodo parum materiae, possit admittere magnas dimensiones, quia scilicet materia de se est capax, ut stante sua parvitate, majores, ut inquit Aristot. dimensiones habeat. Ex altera parte, qualitas ista, est ejus naturæ, ut capacitatem hanc materię expleat, sitque, ut retenta parvitate majores di-

† (D)

mensio.